UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

De sententia, citatione, & appellatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41645

Visual Library

Damnato ad fame pereundum nemo tenetur cibos afferre. *D. Thom. 2. 2. q. 31. art. 2. ad 3. Bannes l. c. in fine, Tol. l. c.*

Hoſti pereunti fame in bello iuſto cibos dare crimen eſſet: in bello iniuſto ſcelus eſſet non dare. *Tol. l. c.*

13 Poteſt quis puniri ex coniectura, ſeu præſumptione certiſſima, vt ſi deprehenſus ſit nudus cum nuda in lecto. *Vide Th. 4. d. 35.*

14 Reus, qui capi non poteſt, poſt ſententiam poteſt in alieno territorio puniri, de voluntate tamen domini ſaltem præſumpta.

De ſententia, citatione, & appellatione.

1 SEntentia lata ſine citatione Rei, & copia ſe defendendi, eſt nulla, niſi euidens ſit, nullam eſſe defenſionem; item data in Eccleſia à iudice ſæculari, niſi detur per modum voluntariæ iuriſdictionis, vbi ſcilicet nemo ſe opponit: item ſi feratur ordine iuris non ſeruato, aut interueniente pecunia, niſi ſit arbitri.

**Vide Syl. verſ. ſententia nu. 5.*

2 Oportet ſententiam ferri ſedendo, & loco publico, & honeſto, & die, non nocte, & non in feſto, niſi poſtulet neceſſitas, aut pietas.

**Vide Syl. l. c. nu. 4. Fum. eod. verſ. nu. 5.*

3 Citationem oportet dari intra tempus conueniens, & cauſa expreſſa, & tempore

non feriato, & loco honeſto, & tuto. Citatus verò, ſi eſt impeditus, non tenetur per alium comparere.

Vide Syl. verſ. citatio nu. 3. Fum. num. 12.

4 Iudex, niſi ſit Princeps, non poteſt regulariter mutare ſententiam definitiuam: ſi tamen conſtet de iniuſtitia, reſtituitur condemnatus.* *Vide Fum. l. c. nu. 3.*

5 Sententia iniuſta, ſed lata ſecũdum allegata & probata, non continens intolerabilem errorem, valida eſt in vtroque Foro.

Vide Salon q. 67. art. 4. controu. 1.

6 Executor ſententiæ Principis iubentis ſuſpendere abſque proceſſu, non peccat.

7 Licet exequi ſententiam Superioris iniquam, ſed validã. *Vide de ſent. Iud. deleg. ca. 28.*

8 Sententia Prælati ligat ſubditum alibi exiſtentem. Vide *Excommunicatio.*

Vide Syl. Pœna nu. 11.

9 Impediens iuſtæ ſententiæ executionem per appellationem, tenetur de damno & intereſſe.

10 Qui appellauit, non cenſetur damnatus.

Vide Syl. Appellatio num. 7.

11 Cum prohibetur appellatio, intelligitur quæ non eſt iuſta.

12 Quilibet etiam Religioſus poteſt appellare à ſententiæ grauamine.

Vide Fu. nu. 9. Salon 2. 2. q. 69. art. 3.

13 Quilibet poteſt ad Papam appellare.

*Vide

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

**Vide Syl. verſ. appellatio nu. 10.*

14 Appellari poteſt à ſententia Iudicis appellationis.

15 Appellandum intra decem dies poſt ſententiam: non currit autem tempus datum ad proſequendum appellationem, durante partium compoſitione, ſeu conſenſu.

**Sylu. l. c. nu. 5.*

16 Poteſt quiſque appellare pro eo qui ducitur ad ſupplicium.

17 Appellatione pendente, nihil innouandum.

18 Appellatio ſi non poteſt fieri coram Iudice, fiat coram Notario, & vno ſaltem honeſto viro.

De Aduocato, Notario, ſeu Tabellione, & Procuratore.

1 ADuocatus publicus poteſt cogi per Iudicem patrocinari litiganti, accepto competente ſtipendio.

**Vide Fum. verſ. Aduocatus nu. 10.*

2 Tabellio in Foro Eccleſiaſtico poteſt eſſe laicus.

3 Tabellio factus Clericus, aut Religioſus non perdit officium, ipſo iure: interdicitur tamen communiter vſus. *Vide Panor. c. Sicut ſine Cler. vel. Monac. & Fely. in c. cum I. & A. de ſent. & re iudicata.*

**Vide Fum. Tabellio 3. 4.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN